

suos dici Deus voluit et audiri; sed quanto majora sunt, quæ filius loquitur, quæ Dei sermo, qui in prophetis fuit propria voce testatur; non jam mandans, ut paretur venienti via, sed ipse veniens, et viam nobis aperiens et ostendens; ut qui in tenebris mortis errantes improvidi et caeci prius fuimus, luce gratiæ luminati, iter vitæ duce et rectore Domino teneremus, qui inter cætera salutaria sua monita et praecepta divina, quibus populo suo consuluit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit, ipse, quid precaremur, monuit et instruxit. Qui fecit vivere, docuit et orare, benignitate ea, scilicet, qua et cætera dare et conservare dignatus est, ut dum prece et oratione, quam filius docuit, apud patrem loquimur, facilius audiamur. Jam prædixerat horam venire quando veri adoratores adorarent patrem in spiritu et veritate, et implevit quod ante promisit; ut qui spiritum, et veritatem de ejus sanctificatione percepimus, de traditione quoque ejus vere et spiritualiter adoremus. Quæ enim potest esse magis spiritalis oratio, quam quæ vere a Christo nobis data est, a quo nobis et spiritus sanctus missus est? Quæ vera magis apud patrem precatio, quam quæ a filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est? Ut aliter orare quam docuit, non ignorantia sola sit, sed et culpa: quando ipse posuerit et dixerit: «Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis.» Oremus itaque, fratres dilectissimi, sicut magister Deus docuit. Amica et familiaris

oratio est Deum de suo rogare, ad aures ejus ascendere
 i oratione. Agnoscat pater filii sui verba, cum precem
 Chris. Qui habitat intus in pectore, ipse sit et in voce.
 facimus. sum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis
 Et cum ip. ando peccatores pro delictis nostris petimus,
 nostris, qua. i verba promamus. Nam cum dicat, quia
 advocati nost. rimus a Patre in nomine ejus, dabit nobis:
 quodcunque pete